

meum studium navare potero, nihil habebō illa re prius, potius & antiquius. Ideo enim nati & in hanc lucem editi sumus, ut mutuis nos officiis complectamur, & recte tum agimus, quando quod nobis fieri volumus, aliis præstamus. De Poeta MAIORE tristiores huc allati sunt rumores ante aliquot septimanas, paulo post eruditorum hominum literis ex Academia Wittebergensi missis de toto negotio sum edoctus, & utrumque carmen blasphemum & in nostrum Servatorem & ejus majestatem contumeliosum una accipi, vidi & cum magno & justo animi dolore perlegi. Deus miseriatur Ecclesiæ suæ & nos in veritate sua constanter tueatur & conservet. Amen. Quantum ego enim pro ingenii mei tenuitate prospicere possum magnis miseriis universus mundus obruetur, nec tam moveor Astronomorum prognosticis quam ipsius Sp. S. instinctu loquentium vaticiniis. Timor Dei toto jam mundo valde exiguus & in ipsis piis hominibus languidior est, & frigescit caritas, annonæ autem caritas & omnis generis pœnæ peccatis nostris infligendæ quotidie accrescunt. Sed quid hæc tibi occino, qui melius & plenius illa, quam ego, vides